



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXVIII. Argumentum. De Usu Matrimonii quinque Quæstiones proponuntur, & examinantur, ad cognoscendum. An sit Actus bonus? eadatque dub præcepto? Quatuor circumstantiæ recensentur à ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

bus coercetur, etiam spe futuri conjugii cum quacunque alia muliere privatur. *cap. Hi ergo.*
 31 27. *quæst. 1.* cuius hæc sunt verba: *Hi ergo, qui sacramentalibus scienter Matrimonio, ad injuriam Christi, copulati sunt, juxta censuram zeli Christiani separentur; & nunquam eis concedatur conjugali vinculo colligari.* Rationem hujus impedimenti impediens reddit Averfa de *Matrim. quæst. 10. sect. 5. Vers. Septimum crimen* ita scribens: *Et merito, quia sic contrahens delinquebat in Matrimonium carnale, tentans quod non poterat; & in Matrimonium spirituale, volens sibi usurpare Sponsam Christi, Deo dicatam.* Deinde advertit, hoc impedimentum afficere etiam Mulierem Laicam, quæ causa esset nubere scienter Viro Religioso, quod quoque notat *Mastrius d. disp. 7. num. 363.*

Cæterum etiam circa hæc septem recensita Impedimenta, ex crimine provenientia, ac impediencia Matrimonium, dubia tria excitant Theologi, à studioso Lectore non ignoranda.
 32 Unum est, Utrum conjugatus privetur jure petendi debitum, si aliquod ex supradictis criminibus committat; prout privaretur spe ineundi Matrimonii, si non esset conjugatus? Respondent DD. negativè, præterquam in duobus, nempe in Voto castitatis, & Incestu; hæc enim duo impedimenta impediencia si conjugatum afficiant, eum jure petendi debitum privant. *Salmanticenses d. cap. 13. n. 14.* & ibi textus in *cap. 1. De eo, qui cognovit consanguineum.* subdunt tamen, quod quamvis petere non possit, nisi dispensetur, reddere tamen est obligatus. In reliquis verò impedimentis, si incurrens in illa sit conjugatus, non solum reddere,
 33 sed petere debitum potest, quia nulla datur lex, quæ tali jure illum spoliaret. Alterum dubium est, an supradicta omnia duodecim impedimenta impediencia sint in suo robore, itaut sit peccatum cum illis contrahere Matrimonium? Duæ sunt opiniones. Prima tenet, non esse amplius in suo robore, neque nunc obligare, tribus exceptis, videlicet *Interdicto, Voto, & Sponsalibus*; & ideo reliqua omnia tanquam ab usu, & consuetudine abrogata, scientibus, ac consentientibus Ecclesiarum Prælati, non amplius impedire, & eorum aliquo irritum contrahentem Nuptias non peccare. *Navarrus in Summ. cap. 22. num. 75. Sanchez libr. 7. disp. 17. num. 9. Basilii Pontius libr. 6. cap. 14. & alii pluribus citatis, Salmanticenses d. tract. 9. de Matrimon. cap. 12. n. 15.* Secunda opinio tenet, ea etiam nunc esse in suo robore, impedire, ac obligare; & per consequens peccare mortaliter illum, qui aliquo ex prædictis impedimentis affectus de facto conjugium iniret; quia Sacri Canones semper valent, & vivunt; consuetudo autem contraria est abusus, ac corruptela, si forè alicubi reperitur, quæ tamen negatur ubique invaluisse, ut fortiter demonstrat Emin. Cardin. de Lauræa, qui hanc opinionem tenet, ac rationibus roborat in *cit. disp. 36. art. 5. à num. 372. usque in finem.* prout etiam antea fecere Emin. Card. Toletus *lib. 7. cap. 19.* & Rebellius *lib. 3. cap. 18.* Concordare conatus has duas discrepantes opiniones novissimè *Mastrius d. disp. 7. num. 365.* distinguens: Vel crimina supralata, ex quibus proveniunt ipsa impedimenta, sunt ad forum contentiosum de-

lata, atque in eo probata? Et in hoc casu procedit opinio affirmans, ea esse in suo robore, quæ tales criminosi præter alias pœnas, debent etiam spe futuri conjugii privari. Vel sunt occulta; & de eis notitia non habetur, nisi in foro poli? Et in tali casu non obligant, ac absolutus à criminis culpa in foro Sacramentali potest absque peccato, si velit, Matrimonium contrahere. Tertium dubium est, quis possit dispensare in supradictis omnibus Impedimentis impediencia? Respondent concorditer Theologi, ac Canonistæ, quod Episcopus potest dispensare, quia talis est universalis approbata consuetudo, exceptis tamen Impedimentis Sponsalium, ac Voto absoluto Castitatis seu Religionis. Siquidem in Sponsalibus non potest Episcopus dispensare, ut unus ex Sponsis, altero invito, contrahat Matrimonium cum alio; sed agere debet tanquam Jux, & cognoscere, an sit causa justa resiliendi à Sponsalibus, vel non? & secundum justitiam causæ pronunciare, vel pro dissolutione Sponsalium, vel pro eorum executione. In Voto autem Castitatis, seu Religionis absoluto, solus Papa dispensat. *Sanchez libr. 7. disp. 17. Navarrus d. cap. 22. n. 85. & Salmanticenses, qui alios DD. cumulant d. cap. 13. num. 16. & 17.* ubi inferunt, quod si Votum Castitatis non fuerit absolutum, sed conditionatum, Episcopus potest in illo dispensare, etiam conditione adimplenda; & idem dicunt de Voto pœnali, nec non de Voto non perpetuo, sed ad tempus limitatum facto; prout quoque de Voto servandæ Virginitatis, quia ea per primum carnis lapsum amissa, non amplius obligat, nisi intellexisset nomine Virginitatis perpetuam castitatem; item si quis vovisset tantum castitatem conjugalem, vel non ducere uxorem, aut non tangere mulierem libidinis causa, seu de sumendis Ordinibus Sacris; in his enim omnibus casibus Episcopus posse dispensare amplè probat *Jordanus tom. 2. libr. 9. tit. 1. à num. 271. & seqq.* in contingentiâ facili legendus, ac iidem *Salmanticenses de num. 17.* concludentes, etiam in Voto Castitatis absoluto, ac perpetuo posse Episcopum dispensare, si periculum sit in mora alicujus gravis scandali, vel ob paupertatem voventis difficilis sit aditus ad Pauperiam.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

De Usu Matrimonii quinque Quæstiones proponuntur, & examinantur, ad cognoscendum, An sit Actus bonus? cadatque sub præcepto? Quatuor circumstantiæ recensentur à Conjugibus in copula maritali servandæ; idest Finis, Temporis, Loci, ac Modi, circa quas, aliosque actus inhonestos, Uxoratis permisos, strictim ob ruborem, docetur quidquid latè à Moralisticis de iisdem tractatur. S. Francisci Salesii, atque S. Ephrem efata pia, sed energetica.

SUMMARIUM.

- 1 *Ufus conjugalis an fit actus bonus? & num.* 6.
- 2 *Eucharistiam sumpturi debent ab Uxoribus abstinere. & num.* 15.
- 3 *Græci uxorati per totam Quadragesimam Uxorem non tangunt.*
- 4 *Copula maritalis an fit actus meritorius?*
- 5 *Heretici damnantes copulam conjugalem.*
- 6 *Communione recepturi ob reverentiam ejus abstinere ab Uxore.*
- 7 *Copula maritalis cum recta intentione facta meretur gratiam.*
- 8 *Gloria accidentaliter dabitur exercentibus Matrimonium intentione recta.*
- 9 *Aqua benedicta cur stet in januis Ecclesiarum?*
- 10 *Copula maritalis ad evitandam incontinentiam est finis secundarius.*
- 11 *Voluptatis causa conjuges coeuntes an peccent?*
- 12 *Copula maritalis an cadat sub præcepto?*
- 13 *Copulam conjux denegare potest in novem casibus. Et qui sint?*
- 14 *Circumstantiæ quatuor servandæ in usu Matrimonii, & quæ?*
- 15 *S. Francisci Salesii doctrina circa copulam die Communionis.*
- 16 *Copula maritalis nec in loco publico, nec in loco sacro exercenda.*
- 17 *S. Ephrem Syri gratiosa responsio ad meretricem.*
- 18 *Ecclesia polluitur; si semen humanum in ea effundatur.*
- 19 *Loco in sacro quando conjuges possint coire?*
- 20 *Modus naturalis coeundi à conjugibus servandus.*
- 21 *Medici Zacchei doctrina de illo.*
- 22 *Copula non completa an conjuges possint ab ea desistere?*
- 23 *Actus inhonesti an sint liciti inter conjuges?*

Completa omnium Impedimentorum Matrimonii explicatione, superest, ut de ejus Usu disseramus; circa quem Quæstiones quatuor sunt resolvendæ.

Prima est, Utrum Matrimonii usus sit actus bonus? Et videtur respondendum negativè. I. Quia copula carnalis conjugatorum eos dividit à Deo; idcirco Exod. 19. præcipitur Judæis, qui erant visuri Majestatem Domini in Monte Sinai, ubi in igne erat descensurus, ne ad uxores accederent. Et 1. Reg. 21. Abimelech antequam Panes Propositionis David daret, & servis ejus, interrogavit, an mundi essent à mulieribus? id est an ab Uxoribus abstinuissent; & in cap. Sciatis. 33. q. 4. nec non in cap. Omnis homo. cap. Quotiescunque. cap. Si causa. & cap. Christiano. De Consecrat. dist. 2. præcipitur, ut qui sumpturi sunt Eucharistiam, abstinere ab actu conjugii per aliquot dies; prout etiam in Doct. Clericali. Tom. II. Lib. VI.

festis solemnibus, & in diebus jejuniorum. In Ecclesia quoque Orientali mos est apud Græcos, ut Uxorati à copula conjugali per totam Quadragesimam abstineant; aliàs in Paschate à Sacra Communione arcentur, ut ex Ballamone demonstrat Morinus de Sacram. Pœnitentiæ libr. 3. 6. cap. 26. num. 12. II. Quia S. Hieronymus agebat in Comment. super 5. Matth. & habetur in cap. Connubia. 32. quæst. 2. Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur. Ergo usus Matrimonii non est actus bonus. III. Etiam S. Jo: Chrysostomus Homil. 1. Operis Imperf. inquit: Matrimonium etsi utentibus pœnam non inferat, mercedem tamen non præstat. IV. S. Gregorius quoque ait, ut legitur in cap. Vir. De Consecr. dist. 4. 2. Vir cum propria dormiens conjuge, nisi lotus aqua intrare non debet Ecclesiam. Ergo non est actus bonus.

His tamen minimè obstantibus, dicendum est, quod conjugaliter copula secundum se est actus bonus, ut ex SS. Thoma, Bonaventura, & Scoto ostendit Emin. Card. de Lauræa de Matrim. disp. 39. art. 1. licet enim usque ab initio Ecclesiæ non defuerint Heretici, qui hoc negarent, inter quos Saturninus Anno 120. qui asserbat, contractum Matrimonii esse inventum diaboli, & quod ad procreationem sufficiebat vaga conjunctio; quod postea docebat Marci- on Anno 146. dicens, uxoratos non posse salvari; nec non Manichæi, Hieracitæ, Albigenes, & alii, quos refert Salelles, & ex eo idem Emin. de Lauræa d. art. 1. num. 2. nihilominus veritas stat in contrarium; siquidem Matrimonii usus à Deo ordinatus est, cum dixisset Genes. 2. Adhærebit homo Uxori suæ, & erunt duo in carne una; scilicet per conjugalem copulam, ut explicat Benedictus Papa I. in cap. Lex divina. 27. q. 2. Et Apostolus Paulus 1. Cor. 7. agebat: Vir uxori debitum reddat, & Uxor viro. Et confirmatur, nam finis Dei in operando non potest esse malus: sed procreatio fuit Dei finis, quæ per copulam Matrimoniale fieret; & tandem quia actus justitiæ est intrinsecè bonus: at copula carnalis inter conjuges est actus justitiæ, atque charitatis; ipsi enim per contractum Matrimonii permutant sua corpora ad hunc usum tum ob prolem suscipiendam, tum ad fornicationem evitandam; quapropter quandocunque hunc usum exercent, faciunt actum justitiæ, & charitatis. Ergo est actus bonus, ut ratio- cinantur Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 39. num. 10. & num. 32. doctissimus Matrius in 4. sent. disp. 7. num. 529. & Salmanticensis tract. 6. de Matrim. cap. 15. num. 3.

Ad contraria autem argumenta, & primò ad Primum respondetur, abstinendam illam ab Uxoribus commendatam fuisse ob majorum reverentiam in suscipienda Eucharistia; & in spiritali reflexione ad Deum, quam facit homo orationis tempore; cujus figura fuit Visio Majestatis Divinæ Judæis ostensa per ignem in Monte Sinai, & panes propositionis ab Abimelech Sacerdote Davidi elargiti. Videtur autem quodammodo efficere reverentiæ prædictæ voluptas, ac delectatio, quam copula maritalis unitam habet, sine qua nullus ad illam inducetur; ea tamen non est mala in se, nisi per excessum,

cessum, aut tanquam finis principalis assumatur, ut latius differit Emin. Card. de Lauræa *disp. 12. eod. tract. de Matrimon. à num. 92. & seqq.* Ad Secundum respondetur, S. Hieronymum per ea verba dicere voluisse; quod non est opus gratia speciali Spiritus Sancti in usu illo, quia sufficit gratia universalis ad quodcunque bonum opus agendum; ut declarat idem Eminentis Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. num. 96.* subdens, quod, si conjuges in actu illo ordinent intentionem suam ad finem supernaturalem, & ad Dei gloriam in prole suscipienda, tunc obtinent specialia gratiæ auxilia; prout credendum est obtinuisse S. Joachim, S. Zachariam Præcursoris genitorem, S. Ludovicum Regem Francorum, & alios Sanctos utriusque testamenti, qui sanctissime usi sunt Matrimonio. Ad Tertium respondetur, S. Jo. Chrysostomum intellexisse de mercede substantiali gloriæ; non autem de accidentali, quæ potest mereri à conjugatis, cum recto fine Matrimonii usum exercentibus, ut explicat ipse Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 12. num. 100.* Ad Quartum dicendum, quia ut plurimum conjugati excessum committunt in usu illo, idè antiquitus fideles adhibebant lotionem aquæ benedictæ; quæ deinde apposta est ad januas Ecclesiæ, ut ea se signantes, à maculis culpæ venialium emundentur, ut latius demonstravimus in nostris Decisionibus de Baptismo Decif. XXXIX. num. 5. & seqq. ubi quatuor præcipuos effectus posuimus Aquæ benedictæ, nempe. 1. Venialia peccata remittere. 2. Fugare demones. 3. Sanare infirmos. 4. Depellere adversitates, quos ibi studiosus Lector percurrere potest.

Ex supradictis tamen DD. faciunt hanc illationem, quod licet usus Matrimonii non sit malus, si fiat ob solum finem evitandi incontinentiam, etenim quamvis hic non sit finis primarius Matrimonii, est tamen secundarius, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Qui non potest continere, nubat in Domino*; & illud: *Propter fornicationem autem (idest evitandam) unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum*; & idè conjux, qui cum tali fine coit, neque venialiter peccat. Mastrius alios DD. cumulans *d. disp. 7. n. 330. Aversa quest. 21. sect. 4.* Salmanticensis *d. cap. 15. num. 56.* nihilominus si usus conjugalis fiat solius voluptatis, ac delectationis causa, ut plurimum est cum culpa veniali, non quia ipsa voluptas moderata sit peccatum, cum insita sit à natura eidem usui, sicut delectatio in edendo, ac bibendo; & ut diximus supra, si voluptas in copula non esset, nullus eam exerceret: sed propter excessum in voluptate, ac delectatione, quem committit, qui ex hoc solo fine utitur Matrimonio; ut latè differunt Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 39. num. 50.* Mastrius *d. disp. 7. num. 332.* & Salmanticensis *d. cap. 15. num. 57.*

Secunda Quæstio est, Utrum copula conjugalis cadat sub obligatione? Circa quam omnes DD. respondent affirmativè, adeò ut coniux, altero petente copulam rationabiliter, teneatur illam ei reddere, & in eam consentire, juxta præceptum Apostoli *d. 1. Cor. 7. Vir uxori debitum reddat, & Uxor viro*; quod si absque legitima causa detrectet, gravem culpam committat *cap. Si dicat Vir. 33. q. 5.* Emin. Card.

de Lauræa *d. disp. 39. num. 19.* Salmanticensis *d. cap. 15. num. 3.* ubi notant, quod hæc obligatio non solum urget, quando conjux expresse petit, sed etiam si tacite, per aliquod signum, vel indicium, ut sæpè accidit in Uxoribus, quæ ob ruborem, vel verecundiam non audent debitum à Marito expresse postulare. Ratio obligationis prædictæ sub pœna peccati est, quia conjuges ex vi contractus Matrimonii obligantur ad talem mutuam redditionem debiti; quia ex vi illius uterque tradi alteri potestatem sui corporis in ordine ad usum conjugii, & sic ex justitia ad tale debitum solvendum reciprocè obligantur. Sicut autem in aliis contractibus qui recusant rem tradere, ad quam tradendam ex justitia est obligatus, graviter peccat; ita conjux qui negat debitum alteri conjugi petenti. Hinc sequitur, quod conjuges, qui se impotentes ad hoc debitum solvendum reddunt per nimias abstinentias, jejunia, ac austeritates vitæ, gravi culpa se aggravant, ut differunt DD. apud Sanchez *libr. 9. disp. 3. n. 5.* & Salmanticensis *d. cap. 15. num. 6.* & 7. addentes, peccare etiam mulieres, quæ nimis poenitentis se deformes reddunt, & pulchritudinem amittunt, cum periculo, ut Viri earum in adulterium cum aliis mulieribus cadant. Sed hunc casum in praxi à Confessoribus raro audiri puto.

Porro plures dantur casus, in quibus conjuges absque peccato solutionem debiti reculare possunt. I. Si imminet periculum vitæ, aut gravis infirmitatis; siquidem ordo nature postulatur, ut prius consulatur incolumitati proprii individui, quàm attendatur generationi prolis. Secus autem si levis esset infirmitas, ut dolor dentium, capitis, aut parvæ febris. Sanchez *d. libr. 9. disp. 24.* Salmanticensis *d. cap. 15. n. 9.* & 10. ubi alios citant. II. Non tenetur Uxor debitum reddere, si Maritus sit Leprosus, morbo gallico graviter affectus; vel alia contagiosa infirmitate detentus. *cap. 1. De Conjugio Leprosi.* Sanchez, ac Salmanticensis *ubi supra.* III. Si conjuges paupertate laborent, & cum plures filios habeant, quos alere difficulter possunt, unus ex conjugibus velit à copula abstinere. Reginaldus *libr. 31. num. 298.* Aversa *quest. 29. sect. 7.* Sanchez *d. libr. 9. disp. 25.* & Salmanticensis *d. cap. 15. n. 11.* alique ibi allegant. IV. Si mulier solita sit ex aliqua sui corporis imperfectione filios mortuos edere; quamvis in hoc casu plures DD. contrarium doceant. Sanchez *libr. 7. disp. 102. num. 9.* Reginaldus *d. libr. 31. num. 287.* & 288. Salmanticensis, alios allegantes *d. cap. 15. num. 12.* V. Si conjux injustè, vel illicitè petat; puta quia vel adulterium cum alia commisit, vel affinitatem contraxit per copulam habitam cum consanguinea Uxoris in primò, aut secundo gradu, vel est voto castitatis adstrictus; vel petit intra bimestre à die contractus Matrimonii; vel si cognationem spirituales elevando filium de fonte baptismali inisser. Salmanticensis *d. cap. 15. à num. 13.* & seqq. novissime Mastrius *d. disp. 7. à num. 337.* VI. Si Uxor sit gravida, & per copulam timeat de occisione foetus in utero, vel de abortu, nam tunc potest debitum marito negare. *cap. Origo 32. quest. 4.* ubi Glossa in fin. hanc reddit rationem: quia ex concussione perit partus; nec non *cap. Non solum. 22. q. 7.* VII. Si mater nondum puerum natum abla-

ctaverit,

etaverit, reculare enim potest redditionem debiti Marito per cap. fin. dist. 5. ubi S. Gregorius Papa sic inquit: *Ad ejus verò (matris) concubitum Vir ejus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablaetur.* VIII. Item si Uxor reperiatut suis purgationibus, ac mensuris obstricta. d. cap. fin. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 39. n. 96. & seqq. Et Salmanticenses d. cap. 15. n. 76. ubi tamen ajunt, esse tantum peccatum veniale, Uxorem menstruatam carnaliter cognoscere. IX. Si conjux sit dubius, & habeat probabilem opinionem de invaliditate Matrimonii. Sanchez libr. 2. disp. 39. num. 5. Bonacina de Matrim. quest. 4. punct. 4. à num. 16. Aversa quest. 17. sect. 3. Diana Coordinatus, alios DD. cumulant tom. 2. tract. 6. resol. 176. quæ in veteri reperitur part. 4. tract. 4. resol. 48. novissime Salmanticenses, qui fuscè hunc casum examinant, & circa eundem plures limitationes, ac declarationes faciunt in d. tract. 9. de Matrim. cap. 15. punct. 4. per totum, ibidem à Studiosis videndas.

Tertia Questio est: Quot circumstantiæ sint servandæ à conjugibus in usu Matrimonii, ne peccatum committant? Respondent DD. quatuor circumstantias esse ab eis observandas. Prima est, ut moveantur ad illum usum ob bonum finem; talis autem erit, si intendant, fidem sibi servare, significationem Sacramenti perficere, incontinentiam fugere, ac prolem ad Dei gloriam generare. Sanchez libr. 9. disp. 11. num. 4. Basilii Pontius libr. 10. cap. 8. num. 5. Aversa quest. 21. sect. 4. & Salmanticenses d. cap. 15. num. 56. quo loco tamen dicunt, quod erit peccatum veniale, si prolem generare intendant solo desiderio successione, & propagationis familiæ. Secunda circumstantia erit respectu temporis, nempe Festum solemnius; Quadragesimæ, Juniorum, ac publicarum Orationum juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Quamvis autem hæc circumstantia temporis secundum communem Theologorum opinionem sit ex consilio, non autem ex præcepto. Sanchez d. libr. 9. disp. 12. num. 5. Basilii Pontius libr. 10. cap. 9. & Aversa quest. 2. sect. 6. tamen quo die conjuges recepturi sunt Sacramentum Eucharistiam, debent à copula abstinere cap. 1. cum quatuor sequentibus 33. quest. 4. quia non possunt excusari à culpa veniali, si tali die ex nimia carnis concupiscentia, vel voluptatis capiendæ gratia coeant; nam ex ea magna oritur distractio, & mentis hebetudo. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 7. ad. 2. Sanchez libr. 9. disp. 13. num. 8. & Salmanticenses d. cap. 15. num. 59. qui idem statuunt de copula post Communionem eadem die, nisi gravis causa urgeat, quæ ab irrerentia excuset, Pium, ac studiosum Lectorem ne pigeat audire Sanctum Franciscum Salesium de hac circumstantia sic ad suam Filotheam, idest Animam devotam, p. 2. cap. 26. loquentem:

Bisogna, che to dica questa parola per le persone maritate. A Dio non piaceva nell' antica Legge, che li creditori volessero esigere ciò, che era loro dovuto ne' giorni di Festa. Ma non vieto mai, che i debitori non pagassero, erendessero il loro debito à quelli, che lo dimandavano. Questa è cosa indecente, se bene non è gran peccato, il sollecitare il pagamento del debito matrimoniale il giorno, che uno si è comunicato: ma non si fa male, anzi è cosa meritoria il pagarlo. Quindiè, che per rende-

re questo debito. non deve alcuno essere privato della comunione, se per altro la sua devotione lo spinge à desiderarla. Certo nella primitiva Chiesa i Christiani si Comunicavano ogni giorno, ancorche fossero maritati, & havessero la benedizione della generazione de' Figli. Per questo hò detto, che la frequente Comunione non recava scommodità alcuna, nè à Padri, nè à Madri, nè à Mariti, purchè l' anima, che si comunica, sia prudente, e discreta. Notent Confessarii discrimen inter exigentem in die Communionis debitum conjugale; & inter illud reddentem. Hic vacat semper à culpa; non etiam illè.

Tertia circumstantia à conjugibus in usu Matrimonii servanda respicit Locum: videlicet ne coeant in loco publico, nec in loco Sacro. Non in loco publico, seu in præsentia alterius, quia talis publicitas esset scandalosa, & mortalis; actus enim conjugales post Adæ peccatum in abditis locis exercebantur ob verecundiam, quæ oritur ex eo, quod homo erubescit cognoscens se subiectum carnali concupiscentiæ, & hæc ob causam Adam, quando cognovit se nudum, consuevit folia ficus, ad cooperiendum corpus, & abscondit se in Paradiso audiens vocem Dei; experebatur enim mortis concupiscentiæ in venereis, & ruborem maximum sentiebat, ut ait S. Augustinus in libr. 11. Genes. ad Litt. cap. 31. quem refert Emin. Card. de Lauræa d. disp. 39. num. 64. subdens, quod copula carnalis, aliis videntibus exercita, peccaminosa est, indigna, ac horrenda ob turpitudinem; & videtur difficile creditur, quod fuerint Hæretici sive Nicolaitæ, sive Gnostici, aut alii, qui asserbant, eam licitam esse coram omnibus, & exercebant illam in vicis, ac plateis. S. Ephrem 18 Syrus requisitus à meretrice, ut secum coiret, respondit se paratum, sed in publica platea. Illa dixit: *Heu: quid dicis?* In platea coram omnibus? *Horreo.* Tunc S. Ephrem: *Horres conspectum hominum, & non horres præsentiam Dei, qui in omni loco actus hominum videt?* Ita P. Segalla Capucinus in Catena Aurea part. 1. in Vita S. Ephrem. pag. 337.

Neque in loco Sacro est habenda, idest in Ecclesia; quæ de jure polluitur per humani sanguinis, vel seminis effusionem in ea factam. cap. Ecclesiis. dist. 38. & de Consecrat. dist. 1. cap. fin. de Consecr. Eccl. cap. Unico. eod. tit. in 6. & cap. Significasti. De Adulteris; in quibus Juribus præcipitur, Ecclesiam esse rebenedicendam, ac reconciliandam, si in ea semen humanum fuerit effusum, ut latè demonstrat Passerinus de Pollut. 19 Ecclesi. disp. 7. cap. 1. ubi DD. cumulat. Quamvis autem discordes sint DD. disputantes, an hæc seminis effusio, ut Ecclesiam polluat, debeat esse illicita, nempe fornicaria, vel ex alia specie Luxuriæ? ac etiam an debeat esse publica, & notoria? ut examinant Salmanticenses d. cap. 15. à num. 62. & seqq. tamen concorditer docent, quod non sit Ecclesia pollutiva, neque peccaminosa copula maritalis, si facta sit in Ecclesia ex necessitate; ut si Maritus, vel Uxor, aut uterque clausi teneantur in Ecclesia longo 20 tempore, nec ex loco Sacro ipsi possint exire; tunc enim stimulis carnis vexati absque culpa possunt ibi usum Matrimonii habere. Sanchez d. libr. 9. disp. 15. num. 12. Sylvester Verb. Debitum. num. 5. Basilii Pontius libr. 10. cap. 10. num. 13. Passerinus d. disp. 7. cap. 18. Salmanticenses

ticenses d. cap. 15. num. 67. *Mastrius in 4. sent. d. disp. 7. num. 543.* & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 39. num. 71. Appellatione autem Ecclesiæ non venire Cameterium, neque claustra Religioforum, neque sacristiam, nec Turrim Campanariam, neque Oratoria privata non benedicta, advertunt Salmanticenses d. cap. 15. num. 70. & ibi Sanchez libr. 9. tota disp. 15.

Circumstantia Quarta respicit modum; ut scilicet Conjuges in usu Matrimonii modum naturalem servant, qui modus requirit mulierem succubam, Virum autem incubum; & per consequens, ne conjuges coeuntes sint stantes, vel sedentes, nec præposterè more pecudum congrédiantur, & multò minus ne Vir sit succubus, mulier autem incuba; quia in his omnibus modis, si periculum sit, quòd extra vas naturale semen effundatur, erit mortale peccatum; & hoc periculo remoto, saltem erit culpa venialis, nisi aliqua honesta causa excuset, puta timor abortus, si Uxor sit gravida, vel Maritus nimia pinguedine sit affectus; ut latè differunt D. Antonius 3. part. tit. 10. cap. 20. §. 3. Sanchez d. libr. 9. disp. 16. Bonacina q. 4. punct. 13. Basilius Pontius libr. 10. cap. 11. Aversa qu. 12. sect. 5. *Mastrius d. disp. 7. n. 555.* Emin. Card. de Lauræa d. disp. 39. art. 3. §. 5. per totum, ubi plura de his modis, qui calamus ob ruborem cogunt restringere; & de iisdem, post plurimum DD. citationem differunt Salmanticenses d. cap. 15. à num. 72. & seqq. quibus ego addo eruditissimum Zacchiam Medicum Romanum, qui de hoc argumento, seu circumstantia Modi latè differit in *QQ. Medicoleg. libr. 7. tit. 3. quest. 1.* in qua post multa hæc habet num. 41.

Nobis autem querendus est naturalis Modus exercendi coitum; neque dubium est, illum esse magis naturalem, qui magis facit ad conceptionem, cum fini à Natura intento consequendo magis adjumento sit. Hunc ergo modum post Hippocratem, aliosque vetustiores, tradunt nonnulli recentiorum, ut Mercator lib. 3. de Mulier. & Prægnan. affect. cap. 6. Rodericus à Castro libr. 2. de Nat. mulier. cap. 5. & alii: Est autem hujusmodi, ut Mulier in dorsum jaceat, divaricatis, acervibusque cruribus, capite tantisper demisso, & Vir illam sic jacentem superineat; hoc enim pacto, modicè elevato uteri osculo, ipse uterus promptius ad se virile semen allicere potest, & Vir etiam facilius propè ipsum Uteri osculum internum semen effundere; unde facilius succedit conceptio. Quæcunque ergo alia coeundi ratio, aut in totum, aut ex parte impedire potest conceptionem, impediendo aut ne facile virile semen excipiat, aut ne virile membrum tam de facili ad uteri interiora pervenire possit, aut alia quadam ratione, recedet à naturali ratione, & habebit semper ob id in se delictum. D. Thom. in 4. sent. dist. 31. Sylvester Verb. debitum conjugale. num. 7. Summa Angel. eod. Verb. num. 11. Hæc omnia Medicus Zacchias, Theologus æquè ac Canonista

Quarta Quæstio est, an conjuges aliquando peccent in ipsa actuali copula, quam habent?

Circa quam tres casus sunt distinguendi, Primus est, quando Vir feminavit, non autem mulier; & in hoc casu ajunt DD. posse Virum à copula recedere absque ulla culpa, tum quia semen mulieris non censetur necessarium ad generationem juxta opinionem Theologorum, (à quibus tamen Medici discordant,) tum etiam quia mulier post recessum viri potest se tangendo feminare; cum talis tactus sit complementum copulæ conjugalis. Sanchez d. libr. 9. disp. 17. num. 10. & disp. 19. num. 5. Basilius Pontius libr. 10. cap. 11. num. 2. & 3. ac alii citatis Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. cap. 15. num. 80. Secundus casus est, quando Uxor feminavit, non autem Vir, & in hoc casu, ipse Vir non potest desistere à copula, sed debet eam complere seminando, nisi aliqua urgens causa eum recedere cogat; puta si in cubiculo aliqua persona intraret; vel aliquod periculum domus, vel vicinorum irrueret, aut inimici supervenirent. Salmanticenses d. cap. 15. num. 81. Tertius casus, quando fuit incepta copula, & neque Vir, neque Mulier feminavit; & tunc de communi consensu possunt à copula desistere absque seminatione, nisi sit periculum effusionis seminis extra Vas, ut differunt Basilius Pontius d. libr. 10. cap. 11. num. 8. & 9. ac alii DD. quos citant, & sequuntur Salmanticenses d. cap. 15. num. 82. & Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 6. resol. 187. nec non resol. 215. quæ in Veteri habentur part. 3. tract. 4. resol. 203. & part. 10. tract. 13. resol. 42. Sed Lector nares custodiat, quia non bene olent.

Quinta tandem Quæstio requirit, quid sit permittum conjugibus, absque peccato circatactus, amplexus, aspectus, ac verba amatoria cum honestatis offensa? & in his DD. distinguunt: Vel ordinantur ad copulam sine periculo pollutionis; & supradicta omnia licent. Vel non diriguntur ad copulam, sed ad solam voluptatem, & carnalem delectationem; & tunc sunt venialia peccata; ac etiam mortalia, si sit periculum pollutionis, & multò magis, si altero conjugè absente, tactus fiant in propriis membris inhonestis; & cum reflexione ad actus copulæ præteritos, ex quibus excitatur titillatio carnis, ut latè differunt Bonacina de Matrim. q. 4. punct. 8. Sanchez libr. 9. disp. 45. Aversa q. 21. sect. 8. Basilius Pontius libr. 10. cap. 16. Salmanticenses d. cap. 15. à num. 84. & seqq. & cæteris copiosius ipse Diana Coordinatus d. tom. 2. tract. 6. resol. 191. resol. 192. resol. 193. & resol. 194. in quibus ad ruborem, ac ultra latetatem de hac putida Quæstione scribit.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Divortii Etymologia, Definitione, ac Divisione præmissa, agitur de causis, quibus Divortium inter conjuges fieri potest quoad Thorum, & Habitationem. Omnes causæ reducuntur ad quatuor genera, nempe ad Devotionem, ad Contagionem, ad sævam Tracta-